



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Praefatio Auctoris Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

P R Æ F A T I O A V C T O R I S
A D L E C T O R E M.

Hoc Horologium mihi ipsi concinnaveram, (benignissime Lector) ut affulgente desuper Sole justitiæ, opportunum tempus indiceret perfectè obeundi quidquid singulis certisque diebus faciendum occurrit. Sed cum aliquot amicos & familiares in secretum meum admissem, quidquid abditum erat perlustrantes, in hoc etiam Horarium inciderunt; quod cum attentè & curiosè perspexissent, primùm laudare laborem meum, tum me reprehendere cœperunt, quòd rem multis profuturam, publici juris fieri nollem, & mihi soli absconditam servarem. Id tandem verbis ac suasionibus effecerunt, ut hoc Scriptum; qualecumque illud sit, permiserim evulgari, quod certe nunquam futurum putavi, dum hoc ipsum mihi soli elucubrarem.

Prodit igitur in lucem sciothericum Horologium, rudi quidem penicillo sine ullo ornamento delineatum; sed quod nemini obesse; prodesse autem plurimis poterit. Lucem habebit ab aeterno Sole, cujus radius illustratum diu noctuque, his qui verè filii lucis sunt, clarissimè collucebit.

Præmonendus est autem quicumque cupit ad præscriptum hujus Horarii horas suas distribuere; quidquid hic præscribitur voluntarium esse, & eatenus assumendum, quatenus discretio suggererit, aut charitas, aut obedientia, nè fortè militet contra virtutem, quod pro virtute institutum est. Quasdam Orationes ex sententiis sacra Scripturæ, alias ex verbis sanctorum Patrum, aliorumque priorum Scriptorum contextui, ipsa quoque Exercitia & alia documenta, ex omnigena Asceticorum Doctorum defloratione excerpta sunt.

C. Bona Opusc. spirit.

A ij

Si quæ preces prolixiores videntur, ut pote in exemplum dilatandi affectus, pluribus verbis expressæ, facile in breviorẽ formam redigi, & sapienter dispositæ, brevissimo tempore percurri poterunt. In codice ita legitur: Facile poterunt in breviorẽ formam redigi; quamvis sapienter dispositæ, brevissimo tempore percurri poterunt.

De usu Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, seorsum egi in Tractatu Ascetico de Sacrificio Missæ typis evulgato, ex quo petenda quæ hîc desunt.

Ceterum hæc rudimenta incipientium sunt, & prima quodammodo elementa pietatis, quibus anima ferventer & perseveranter Deo aspirante incumbens ad altiora sensim elevabitur, donec occulta divina sapientiæ penetrans & degustans, potioribus gratiæ donis perfruatur. Perfectos autem, sublimiores, nobisque ignotos Exercitationum modos unctio Spiritus sancti edocebit: Cujus utinam Gratia & mihi & omnibus legentibus uberrimè adspiret.